



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt CXXIV. S. Bavonis Collegivm Cathedrale Gandense, in Flandria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

De Ecclesia Cæsaraugustana in Hispania, quæ
olim fuit Canonicorum regularum, item de
Cathedrali Basilica Gandentis, quæ olim fuit
Benedictinorū in Belgio, vide suis infra locis.

CAPUT CXXIV.

S. BAVONIS COLLEGIVM CATHE-
drale Gandense, in Flandria.

Sancti Bauonis monasterium fundauit *s. Amundus*, Traiecti Ad Mosam Episcopus,
idque potissimum eiusdem *s. Bauonis* opibus.
Initio tamē non monachos sed clericos simul
viuentes instituit: quibus amotis, quod licen-
tius viuerent, monachos S. Benedicti colloca-
uit, sub Abbe *s. Florberto*. Qui cùm multum
sanctitate & doctrina clarerent, multis bonis
& priuilegijs dotati sunt, ab Imperatoribus,
Carolo Magno, *Ludouico Pio*, *Othono secū-
do* & alijs. Inter hos *Hildebertus* octauus fuit
Abbas Gandensis, qui contra Fautores Impe-
ratoris Constantini Copronymi, non modò
verbis, sed etiam sanguinis ac vitæ profu-
sione confirmauit pium imaginum cultum.
Rursus, inter hos fuit *Einardus* siue *Eginhartus*
Caroli Magni Cancellarius doctissimus; qui
fama monasterij clarissima inuitatus, habi-
tum in eo religionis suscipere non dubitauit,
factusque est decimusquintus Abbas.

Idem preclarissimas reliquias sanctorū Pe-
tri & Marcelli ex vrbe Roma Gandensi suæ

O 4 Eccle-

Ecclesiæ procurauit. At post felicia Einardi tempora, Normanni barbara crudelitate Gādense monasterium cum alijs concremarunt, totamque Flandriam vastarunt. Tunc monachi S. Bauonis, cum sancto corpore & Ecclesiæ munitis confugerunt Andomaropolim, inde Laudunum, & aliò. Centum prope modum annos exularunt; semper tamen, quantum licebat, in communi viuebant, sub vnius capitis obedientia; & corpus S. Bauonis, seu pretiosissimum thesaurum secum cōferebat. Tandem circa annum 940. relato corpore, facta est cœnobij instauratio per Arnulphum Flandriæ Comitem & S. Gerardum Broniensem Abbatem, virum eximium, qualem omnino illa tempora postulabant; qui XX. Abas cœnobio præfuit annis plus minus quindecim. Etsi verò hoc monasterium multis bonis exutum sit Normānorū dīreptione, monachorum exilio, maris inundatione, Principū quorūdam iniuria ac violentia, alijsque modis, Dei tamen fauore, & præsentium Sanctorum suffragijs, atque intercessione non penitus exhaustum est. Nam ex eius prouentibus clerus cathedralis Ecclesiæ Sancti Bauonis Gandensis in hodiernum usque diem honestè sustentatur. Est enim monasterium anno 1535. per Paulum III. (procurante id Carolo V. Imperatore cui Patria sūt Gādauum) reductum ad Canonicorum statum, quem primitus habuit.

Qui

Qui anno 1540. (cum monasterij locus arcis extruendæ aptaretur) transmigrarunt ad parochialem Ecclesiam Sancti Ioannis, quæ nūc est cathedralis S. Bauonis. Sic ferè Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij.

Est autem Gandatum ornatum cathedra Episcopali anno 1559. per Paulum IV. Papam petente Philippo secundo Rege Catholico.

CAPUT CXXV.

SANCTI MARTINI COLLEGIVM

Cathedrale Iprense in Flandria.

Beatus Ioannes Morinensis seu Teruanensis Episcopus obiit anno 1130. Is triginta annis Episcopatum sanctissimè rexit, iudiciorum, pauperum, Ecclesiarum, bibliothecarum, & dilatandæ religionis sedulus obseruator. Qui, in libro vitæ, numero Sanctorum piè creditur ascriptus; quamquam non sit per Romanam Ecclesiam canonizatus. Vita eius in monasterio Sancti Bertini manuscripta habetur. Hic Ipris ad Sanctum Martinum Canonicos regulares ordinis Sancti Augustini instituit; qui quidem anno 1559. per Paulum IV. Papam facti sunt Canonici sacerdtales, cathedra Episcopali noua in eodem Sancti Martini templo collocata.

O 5

CAPUT